C TEMPVS.

Maio & Iunio menſibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Dulcedo quæ in radice ac tota ferè planta apparet, ſatis monſtrat eam eſſe caliditate tepida præditam, & modicè humidam.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Herba & cruda & cocta edendo eſt.

APPENDIX.

Ex recentiorum traditione, & temperamenti ratione, æſtuanti ſtomacho utilis eſt herba, thoracis & iecoris uitijs, renum item & ueſicæ malis. Succus eiuſdem mirificè laterum doloribus auxiliatur.

DE TYPHA. CAP. CCCXVII.

NOMINA.

ΤΥΦΗ Græcis, Typha Latinis, officinis inuſitata. Germanis Moß/ oder Narrenkolb dicitur. A nonnullis Knoſpen vnd Ließen.

FORMA.

Foliũ profert Cyperidi ſimile, caulem læuem, enodem, cuius in ſummo capite flos obducitur denſus, euadens in pappum ſeu lanuginem. Quæ deſcriptio huic plantæ ſic quadrat, ut nulla ſit nota quæ reclamet. Folio ſiquidem Cyperidis erumpit, caule alto, læui, plano, enodi, cuius cacumen denſa florum congerie ſtipatur, & ueluti ſpiſſa cingitur lanugine, quæ in pappos tandem euaneſcit.

LOCVS.

D Gignitur in paluſtribus & ſtagnantibus aquis.

TEMPVS.

Iulio menſe caulis lanoſa floccorũ denſitate obducitur. Auguſto autem in pappos abit, & euaneſcit.

TEMPERAMENTVM.

Quantum ex uiribus eiuſdem colligi poteſt, non euidenter, potiſsimũ eius flos, calefacit & refrigerat, modiceq; abſtergit, atqueadeo exiccat. Quum enim ambuſtis medeatur, & ambuſta, Paulo libro quarto, capite undecimo teſte, medicamenta quæ mediocriter citra inſignem caliditatem aut frigiditatem abſtergunt, requirant, ſequitur hoc quale diximus temperamentum obtinere.

VIRES EX DIOSCORIDE.

Flos eius cum ſuillo adipe uetuſto cloto exceptus ambuſtis medetur.

DE TVRCICO



TYPHA